



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

44. Leprosus manu Christi tactus mundatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

CAP. 44. Leprosus manu Christi tactus mundatur.  
 Matth. 8\* 43. Mar. 1.\* 28. Luc. 5.\* 26.

S. Mattheus.

**C**VM autem descēdisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens, Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus, Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moses in testimonium illis.

\* 45.

S. Marcus.

**E**T venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dicit ei, Si vis, potes me mundare. Iesus autem misertus eius, extendit manum suâ: & tangens eam, ait illi, Volo, Mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et comminatus est ei, statimque eiecit illum: & dicit ei, Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses, in testimonium illis. At ille egressus cepit prædicare & diffamare sermonem: ita ut iam non posset manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset & conueniebant ad eum vndique. \* 32.

S. Lucas.

**E**T factum est, cum esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & prociidens in faciem, rogauit eum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens, Volo, Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. & ipse præcepit illi ut nemini diceret, sed, Vade, ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. Perambulabat autem magis sermo de illo. & conueniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat. \* 32.

S. Iohannes.

H 3 CAP.